



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Enchiridion Erasmi Roterodami Germani De Milite Christiano**

**Erasmus, Desiderius**

**Lypsi, 1516**

**VD16 E 2746**

Canon vndeugesimus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33324**

dulce, propterea qd' intelliges isto modo te conformari capiti tuo, eiq; pro suis immensis doloribus/ quos tua causa pertulit, quali gratiam referre.

¶ Canon Decimus octauus.

At hoc quidē remediū, quāq; vnū omnīū lōge praesentissimū est/ ijs qui mediocriter in via vitæ processerunt, tamen infir-  
 mioribus nōnihil profuerint & illa, si sollicitante ad impietate affectu, statim ob oculos mentis reuocēt, q; foeda, q; execranda, q; exitialis res sit peccatum, contra quāta hominis dignitas. In  
 futilibus etiam negotijs/ paulisper apud nos ipsos cōsultamus in hac re omnium maxima, priusq; nosmet assensu/ veluti ciro-  
 grapho/ diabolo astringimus/ nō nostro cum animo reputabimus a quāto opifice sumus conditi, in qua excellenti statu  
 constituti, quā immenso praecio redempti, ad quantā foelicitas-  
 tem vocati. Hominē generosum illud esse animal, cuius vni<sup>9</sup> gratia mirabilem hanc mūdi machinā fabricatus est deus, con-  
 diem angelorū, filium dei, heredem immortalitatis, membrū  
 Christi, membrū ecclesiae, corpora nostra templa esse spiritus  
 sancti, mentes simulachra simul & adyta diuinitatis. At e re-  
 gione peccatū esse pestem teterrimā ac tabernum animi, tum corporis. Vtrūq; em̄ in natiuā speciem reflorescit innocentia,  
 peccati ꝛo cōtagio, marcescit vtrūq; etiam in hoc saeculo. Pec-  
 catū est lethale virus spurcissimi serpentis, authoramentū dia-  
 boli, ac seruitutis nō turpissimā modo, verū etiā miserrimā. Hæc atq; huiusmodi vbi tecum expenderis, etiam atq; etiam  
 delibera, num satis cōsultum sit, ob fucata, momentaneā, venenatam peccati delectaciunculā, a tanta dignitate, in tantā  
 excidere indignitatē, vnde te p teipm nō queas asserere.

¶ Canon vnde uigesimus.

Deinde duos illos authores inter se dissimilimos cōpara, deū ac diabolu, quorū alterū peccādo tibi facis inimicū, alterū cōsti-  
 tuis dñm. Per innocentia & gratiam ascisceris in numerū ami-  
 corū dei, adoptaris in ius & hereditatem filiorum. Per pec-  
 catū vero constitueris & seruus & filius diaboli. Alter est eter-  
 n<sup>9</sup>, ille fons & Idæa summi pulchri, summæ voluptatis, summi

K iij

Tētatiōe immi-  
 nēte qd cogitā-  
 dum,

Nota.

Humanae natu-  
 ræ dignitas

Peccati vilitas  
 ac turpitude,

Boni & mali  
 suos habēt do-  
 minos sed inæ-  
 quales.

1. co. 6.

Mat. 6.  
 Ioan 15  
 Gall. 4.  
 2. Pe. 2.  
 Act. 13.



boni. Omnibus sese cōmunicās. Alterū omniū malorum, ex-  
 tremæ turpitudinis, summæ infœlicitatis pater. Alterius in te  
 beneficia, alterius maleficia recordare. Ille qua bonitate te con-  
 didit: Qua misericordia redemit: Qua liberalitate locupletas-  
 uit: Qua lenitate quotidie sustinet delinquentē: Qua læticia  
 recipit respicientem: Contra hæc omnia diabolus, quāta inui-  
 dentia iam olim insidiatur saluti tuæ: In quas erumnas te con-  
 iecit: Atq; adeo aliquid aliud molitur quotidie, nisi vt vniuer-  
 sum hominū genus secum in æternum exitium trahat: His  
 omnibus hinc atq; hinc recte p̄ficulatis ita tecum cogita. Ego  
 ne oblitus originis meæ, oblitus tantorum beneficiorū, p̄pter  
 tantillum bolum falsæ voluptatis, a tam nobili, a tam amante,  
 a sic merito parēte desciscā ingratus, & me vltro turpissimocq;  
 dño mancipabo: Non saltem illi prestabo, quod homūcioni  
 prestarem bene merenti: Non illum fugiam, qui hominē sus-  
 gero malum dare cupientem:

¶ Canon Vigessimus.

Neq; vero minus inæquale præmium, q̄ dissimilis author.  
 Quid enim inæqualius, q̄ mors æterna, & vita immortalis?  
 q̄ sine fine summo frui bono, in contubernio celestiuū ciuiū,  
 & sine fine extremis excruciarī malis in infœlicissimo cōfor-  
 tio damnatorum? Atq; hac de re qui dubitat, ne homo quidē  
 est, nedum Christianus. Qui non cogitat, vel ipsa est amentia  
 amentior. Iam vero præter ista, habent & in hac interim vita  
 pietas & impietas fructus suos n̄m̄m̄ dissimiles. Ex illa em̄  
 metitur, secura tranquillitas animi, & beatum illud gaudium  
 puræ mentis, quod quisquis semel degustarit, nihil tam præ-  
 ciosum, nihil tam voluptarium, mundus hic possidet, qui cum  
 velit permutare. Hanc contra/quum mille alia mala, tum mis-  
 ferrim⁹ ille cruciat⁹ ai sibi male conscij⁹ segtur. Illud enī est cē  
 tuplum spiritalis gaudij, quod Christus pollicitus est in euang-  
 gelio, velut arram quandam æternæ fœlicitatis. Hæc sunt illa  
 apud prophetā miranda munera, quæ neq; oculus vidit, neq;  
 auris audiuit, neq; ascenderunt in cor hominis, quæ præpara-  
 uit deus diligētib⁹ se, nimirū in hac vita. Quū interim vermīs

¶ Boni & mali  
 mercedē etiam  
 hic recipiūt sed  
 inæqualem

¶ Cōsciētē & mis

Mat. 19

Esa. 64

Esa. 66